

CARMEN 14

IN HONOREM NV-
PTIARVM DOCTISSIMI ET
CLARISSIMI VIRI, DOMINI BASILII
Fabricij Zikzai, rectoris scholæ Patachinæ in Pan-
nonia, ac pudicissimæ virginis Margaritæ, sororis
excellētissimi viri Domini Ioannis Viti
Balsarati, Doctoris artis Me-
dicæ peritissimi,

SCRIPTVM

Vitebergæ Anno M. D. LXVIII,
Mense Martio,

A

Ioanne Vetesio, & Francisco Copacio
discipulis.

Vitebergæ excudebat Iohannes
Crato.

ANNO M. D. LXVIII.

Suo parente Cehi Ioannes V
Vitebergæ m. d. lxxviii

Tiszántúli Református Egyházkerület
Nagykönyvtára, Debrecen

RMK 395

ANNO M. D. CCXXVII

CARMEN, IN HO- NOREM NVPTIARVM CLA-

RISSIMI VIRI D. BASILII F. ZIKZAL, PRAE-
CEPTORIS SVI COLENDISS: A IOAN-
NE VETESIO SCRIPTVM.

OMnia diuini consistunt Numinis arte,
Et cedit magno machina tota DEO.
Imperium mundi, fortisq; potentia Regum,
Imperio surgunt Maxime Christe tuo.
Ludit in humanis rebus non casus iniquus,
Nec ruit in certo machina tanta modo.
Sed tu MAGNE DEVS, soboles, & imago Pa-
tris, Consilio sistis cuncta creata tuo. (rentis,
Per te sistebant rerum primordia, quando
Fundares nitidi sydera clara poli.
Per te consistunt praesentis secula mundi,
Tu stabilis nutu quicquid hic orbis habet.
Tu iungis thalamo sociatos foederis usus,
Ut duo sint vnum corpora mente, facis.
Tu genus humanum flagranti in amore repertum,
Coniungis stabili, conciliasq; modo.
Ergo vana procul fugiat confusio casus,
Imperio vt cedant Astra solumq; tuo.

*Hæc spes sponte tibi, semper sperata, refulsit
Præceptor studijs aura reperta meis.
Cum iungis thalamo fidei virtute repertam
Margarida, ingenui gaudia prima tori.
Spes tibi sancta fuit, vitæ & solatia querens,
In Christo tantum spes tua viua fuit.
Vnica te Christi virtus, ratione probata,
Rexit in hoc æuo non dubitante fide.
Non casu, sed Christe tuo sub Numine, quando
Formares studij pignora prima tui:
Tunc præsens Christum præsentis numine Regem,
Ne tua marcescat gloria, voce petis.
Hic te in Pannoniam sinuosa ex Albidis ora
Rettulit, vt tibi semina vera dares.
Non casus tristis, sed rebus mansit amata
Spes Christi, & laudis norma reperta data est.
Nam clarè per te floret studiosa iuuentus,
Vt quæ Pierio nomine iuncta tibi est.
At postquam thalamo iunxisti in amore maritam,
Reddet iam voto pignora cara tuo.
Nunc tibi solamen spes & fiducia, longe
Maius & incæpto pignus amoris adest.
Nunc animo præsens, præsentis numine Diuùm,
Siste tuo coram vota petita Deo.
Maius opus vitæ præsentis tempore surgit,
Nuptaq; Diuinum nomen adepta mouet.*

Te

Te mouet æterni concordia, spemq̄ reformat
 Alma fides, vera religione, Dei.
 Non casus, sed firma fides, sub amore duobus,
 Coniugij sanxit fœdera casta tui.
 Lex fuit antiquis sancita, & amore probata,
 Illicito ne quis temnat amore torum.
 Illud Adam primus sociali fœdere sensit,
 Dum Para distacas hospes adiret opes.
 Sensit idem, postquam legis violata recessit
 Norma, & in ærumnas tristis Adame ruis.
 Mansit amor menti, flammæ mansere rapaces,
 Seruetur casti vt iusq̄ decusq̄ tori.
 Nam si nulla foret pacis concordia menti,
 Natura haud possset spe meliore frui.
 Sed ne praua viros, fallaxq̄ in amore furentes
 Mens premat, hæc legis norma reperta manet.
 Hac genus humanum lege est in amore retentum,
 Ne ruat in quoduis mente negant e scelus.
 Hac facit vt casti maneant in amore mariti,
 Et seruent casti iura verenda tori.
 Hac facit vt sponsæ maneant in amore fideles,
 Nec clam deposito nomine damna petant.
 Hinc tibi Christe venit succincto nomine Sponsa
 Quæ manet ante tuos spe meliore pedes.
 Nam gestata tuis humeris, & sanguine fuso,
 Aeternam gestat Sponsa salutis opem.

Hæc tu dum reputas animo, seruasq; pudorem,
Optato iuncta est virgo pudica toro.
Quare lætus eris fidei dum sponsa repertæ,
Sistitur ante oculos Margaris ipsa tuos.
Nam vitæ pariter sortem, lapsusq; futuros,
Mutuus inter vos conciliabit amor.
Non horres fluidis quæ sit fiducia rebus,
Nec metuis Satanae vana pericla trucis.
Spes tibi certa manet Christo sponsore salutis,
Qui iunxit thalamo vota petita tuo.
Idem defensor, casti tunc quisquis amoris
Autor erat, peteres cum pia iura tori.
Altera spes vitæ dulcis coniunctio sponsæ,
Quæ reddet thalamo pignora cara tuo.
Hæc te prole patrem felicem in amore maritum
Ornabit, vitæ spe meliore tuæ.
Quæ modo sponsa fuit, custosq; in amore mariti,
Aspice naturam, mox pia mater erit.
Vxor am^{arus} gnatos, gnatorum prole beatur,
Tuq; Auus ex vero patre vocandus eris.
Hæc oculos vertens gnatos in amore videbis
Lætus, coniugij pignora sera tui.
Huc vertens, longo cernes ex ordine fratres,
Qui tibi erunt fidæ pignora fida domus.
Sic surgat vitis, teneræ sic fructus oliuæ,
Plantaq; crescentis per noua dona domus.

Sic

*Sic tibi felices surgent sub amore nepotes,
 Quæ sunt æterni pignora vera Dei.
 Hæc precor eueniant, vt euntibus ordine Fatis,
 Sponsa viro, sponsæ vir sua dona ferat.
 Hæc Pater omnipotens Gnatus cum Flamine Sancto
 Prosperet, optato gaudia vestra die.*

A L I V D,

**IN HONOREM EIVSDEM
 CLARISSIMI VIRI D. BASILII F.
 ZIKZAI, PRÆCEPTORIS SVI OBSER-
 VANDI, FRANCISCVS COPA-
 CIVS SCRIBEBAT.**

P*rima dies castum Paradisi in gramine cunctis
 Commendat Thalami fœdus, vincitq; ferocem
 Naturam, ne praua viros mens cogat amore
 Illicito castum lecti violare pudorem.
 Hæc lex sancita est iusto sub fœderis vsu
 Iam tunc, ingentem certo cum sisteret orbem
 Cardine, palantes stellas, rerumq; figuras,
 Ille Opifex Mundi: Rebusq; in iura vocatis,
 Naturam humanam flagranti in amore repertam
 Ornat, vt æternum casti sit pignus amoris.
 Costam ex osse viri sumens, nec plura locutus,
 Format Heuam, & thalamo iungit de more Mariti:*

Inq; locum costæ & carnem, Diuina potestas
Sufficit, vt casti constet concordia lecti.

Et iam prima dabat rerum primordia tellus,
Cum Pater Omnipotens rebus iam ritè solutis,
Imposuit legum normas, Sanxitq; probato
Fœdere coniugium, veri tutamen amoris.

Non iam vana fides mentem ratione fatigat,
Quis pudor ingenuus casto repressit amore
Affectus cordis prauos, repetitq; castæ
Iura pudicitie reuocando ad fœderis vsus.
Talis amor sine labe manet, seruatq; pudoris
Castam sollicitè mentem, ratione mariti.
Ergo felices quorum fortuna fidesq; —
Vna manet casto solùm contenta pudore.

Aspice quid rerum possit natura, duobus
Mentem vnã præbet sociali fœdere iunctis.
Tempore susceptum est, vsu non temporis vllò
Desuescit, si quando fides in amore relucens,
Seruat opus iustum, veroq; assurgit honore.
Aspice quid iungat fortes in amore leones,
Quid iue petat natura sui ratione volantum?
Omnia vincit Amor, fœda vt pulsata libido
Cesset, & æternùm Christo Sponsore, Mariti
Sponsa sui flagret casti certamine amoris.

Quid, nisi purpurei, veri q; incendia amoris,
Illa vetustatis sacros gestata per ignes,

Fumida

*Fumida tæda refert? Res hæc abscondita sensus
Humanos in amore vagos, propiora sequendo,
Corrigit, vt thalami constet reuerentia casti.*

*Crescit amor sensim vero sociatus amori,
Vt, (donec sua vita duos sub amore receptos
Sustinet, & fidei certa ratione manebit
Virtus,) amborum maneat constantia semper.
Ipsa fides in amore manet, famamq; tuetur,
Ne, si forte cadat, studiumq; ex ordine fallat
Ingenium, pulsa fidei ratione labascet.
Non metus vllus adest, horum stat firma caducis
In rebus virtus, casto sociata pudori.*

*Hæc fulgens in amore fides, sociataq; virtus
Nunc bene conspecta est, postquam tibi casta marito
Sponsa, Dei veri cultrix, & florida ab annis
Margaris optato iuncta est in amore, Magister.*

*Gratulor ergo tibi tanto pro munere Diuum,
Quod felix vitæ tandem solamen honestæ
Accipis, æternumq; tibi sub fœdere amoris
Sponsam exoptatam, vera & virtute decoram
Iungis, florentem pariter florentibus annis.*

*Te DEVS immensi sapiens moderator Olympi
Et fidam thalami sociam, custode marito,
Seruet felices, verum vt certamen amoris
Sponsa viro, vir sponsa tibi de more maritæ
Soluat, & ambobus felix in amore repertis,*

Sponte sua semper studij concordia surgat.
Et iam felicem læta te prole parentem
Margaris, optato felix sortita marito,
Reddat, vt ardoris maior fiducia crescat.

Hinc tibi fama ingens duplici sermone notanda
Spontè venit, cœlumq; ingenti nomine virtus
Viuida complebit, seros mansura per annos.

Pannonia te pubes morum studijq; parentem
Agnoscit, veraq; tui ratione fatetur
Per te Piereis, iam tot labentibus annis,
Excultam studijs mentem, donisq; refertam
Extendisse animo, laus hæc pietate tuorum
Crescet, & ingentem de te fert gloria laudem.
Huic amor ingenuus, casti & reuerentia lecti
Successit, geminum gignens in laude parentem.
Nos schola vestra sumus, studijs inuenta parentis,
Huic noua successit fidei ratione reperta,
Quam Sponsus Sponsæ sociali fœdere seruas.

Tu quoq; Sponsa viro, tali & dilecta marito
Disce tui ratione viri, laudemq; pudoris
Purpurei casto serues in amore Marito.
Felix ô nimium, quæ tot iam læta per annos
Insignem virtute virum, morumq; parentem
Observas Vitum, fraterni lumen amoris.
Fac age vt amborum virtus & gloria surgat
Nomine sponsa tuo, tecum sociatus vt alter,

Præ-

5
Præsentem præsens ornet, studiumq; reseruet:
Alter in absentis vitæ ratione morando,
Audiant (optato veniat quod sperare) gnatum
Te iam prole patrem, matremq; in amore tenere.

Aspice purpurei Lucretia prima pudoris
Gloria, tutando casti primordia lecti,
Felix à sera quid posteritate reportet?

Ergo tibi ante tuos vitæ constantia ocellos
Vir, Frater, custos, Lucretia, fida pudoris
Consistant, semperq; fidem tueare Mariti.

F I N I S.